

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 6615

**Auteur(s)** : Geoffroy V le Bel, Anjou (comte)

**Bénéficiaire(s)** : Angers, Saint-Aubin (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1151, 11 juin-1151, septembre]

**Lieu d'émission** : Angers

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Souscription de Henri Plantegenêt à une charte de son père Geoffroi, comte d'Anjou, datée du 11 juin 1151, relative à l'abolition des mauvaises coutumes établies à Montreuil-Bellai par Giraud Berlai.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° XVIII\*, t. 1, p. 23-25.

## Dissertation critique

« 1151, du 11 juin au commencement de septembre » : datation proposée par DELISLE/BERGER.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, unde omne bonum procedit.

Ego Gausfridus, Fulchonis regis Jerusalem filius, et Dei gratia Andecavorum comes, ad memoriam successorum meorum, ne traderentur oblivioni, hec que secuntur scripto commendare precepi.

Noverint presentes et futuri quod propter infidelitatem et intolerabilem sevitiā Giraldi Berlai, qua ipse super omnes ecclesias sue potestatis et earum possessiones crudeliter exagitabat, castrum Mosterioli gratia Dei pereuntem (sic) obsedi, magnisque expensis et permaximis diuturnisque laboribus predicti castrī menia destruxi, turrem et universa edificia tocius castrī penitus eradicavi, Giraldum et qui cum eo erant captos retinui. Igitur his ita viriliter peractis, recognoscens non meis meritis nec mea potestate, sed Deo agente ad laudem ipsius et ad vindictam malorum operum Giraldi hoc evenisse, sano consilio baronum meorum statui ego ipse et duo filii mei Gausfridus et Willelmus ut omnes consuetudines et exactiones quas Giraldus et antecessores illius in obedientia Maironis immiserant radicitus quassarentur. Preterea concessi ut predicta obedientia secundum auctenticum privilegium antecessoris mei Grisa Gonella Gausfridi quietā penitus ab omni consuetudine remaneret, retentis tribus tantummodo forfactis que predictus Gaufridus in privilegio suo de terra Sancti Albini retinuit, scilicet homicidium, raptum, incendium. Hoc autem totum me fecisse divina gratia inspirante noverit universitas Ecclesie pro salute solummodo anime mee, patris mei et matris mee et omnium antecessorum meorum. Si quis autem, quod absit, ex heredibus meis vel de mea progenie, seu cupiditate terreni honoris vel aviditate alicujus pecunie, aut per se ipsum aut per suos aut per extraneos contra hanc donationem et confirmationem ut ea infringat aliquo

ingenio venire temptaverit, in primis iram Dei omnipotentis, quisquis ille fuerit, incurrat, et cum Juda traditore dampnationem accipiat et ab hereditate mea alienus existat. Actum in capitulo Sancti Albini, in presentia Normanni Andecavensis pontificis et Rotberti abbatis Omnium Sanctorum, tempore Rotberti, Sancti Albini abbatis, anno ab incarnatione Domini M°. C°. L°. I°. , indictione XIII, III idus junii, videntibus et audientibus istis : Gaufrido et Willelmo filiis meis, Gaufrido de Cleeriis, Hugone fratre ejus, Fulchone de Cleeriis, Brientio de Martiniaco, Warino de Belesmo, Gosleno Turonensi, Bareio de Saceio, Pipino Turonensi, et aliis multis ; de clericis : magistro Vasleto archidiacono, Gaufrido Bibe vinum, Thoma capellano, Gausfrido decano Sancti Laudi, Petro Fulberti ; de monachis : abbate Rotberto Sancti Albini, Guarino priore, Willelmo sacrista, Johanne elemosinario, Mainerio cellerario, Theoderico panetario, Willelmo Dolensi baiulo totoque conventu ; de familia monachorum : Arraudo, Pagano de Alodiis, Gaignardo de Sartrino, Benedicto famulo, Brientio.

+ Signum Gaufridi filii comitis.

+ Signum Willelmi filii comitis.

+ Signum Hainrici ducis Normannorum et comitis Andecavorum. Hoc signum feci ego Hainricus, et hanc cartam sigilli mei impressione confirmavi coram his testibus : Widone de Sabuleio, Gaufrido nepote ejus, Gosleno Turonensi, Pipino Turonensi, Bonello, Gualterio Fraser, Eudone summulerio.

Ego Gaufridus comes Andecavorum hoc concessi in capitulo Sancti Albini et sigilli mei impressione confirmavi.